

Vd
265

h.

A

I



A. 10, 29.

V2
265

PANEGYRICVS
IN
AVSPICATISSIMVM CONNVBIVM

QVO
SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS
PRINCEPS AC DOMINVS

DOMINVS
FRIDERICVS
AVGVSTVS

POLONIARVM REX ET ELECTOR SAXONIAE
ETC. ETC. ETC.

DOMINVS NOSTER LONGE CLEMENTISSIMVS
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO
CAROLO

HIEROSOLYMOREVM ET VTRIVSQUE SICILIAE REGI
HISPANIARVM INFANTI ETC. ETC. ETC.

FILIAM NATV PRIMAM
SERENISSIMAM AC REGIAM PRINCIPEM
ET DOMINAM

DOMINAM
MARIAM AMALIAM

IVNXIT
D. IX. MAII MD CC XXXVIII.
EX DECRETO

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IN TEMPLO AD ARCEM
DICTVS

A
IO. GVILIELMO HOFFMANNO
D. ET HISTORICAR. PROF. PVBL.



ALPHACATISSIMAM COMMUNIVM

DOMINVS

FRIDERICVS

AVGVSTVS

DOMINVS

CAROLO

MARIAM

MARIAM

VITICULTVS

IO. GYRILLIO BOFFIANO





Qui pro salute Patris Patriae capita
nostra quotidianis votis obliga-
mus, & ad aeternitatem Domus
Augustae, quam nulla tempo-
ris circumscriptio metiatur, impetrandam
continuis supplicationibus templa pate-
facimus; quam vero nunc oratione so-
lemnius religionis officium persoluemus,
AUDITORES, quando post tot ac tantas
Imperii ultra desideria prosperi delicias ho-
dierna dies nouam laetitiarum faciem ad-
ducit. Haec enim vna sollicitudo, post-
quam felicitas temporum ceteras deter-
sit, animos nostros occupat, quod vix scia-
mus, quibus demum iudiciis parem be-
neficiis regiis pietatem demonstrare, no-
menque ciuium Optimo principe non indi-
gnorum

gnorum consequi valeamus. Ac si nobis interdum accidit, vt illa quotidiana, quibus circumfluimus, commoda, illud profundum pacis otium, illam rerum omnium, quas bonus & clemens princeps praestare potest, abundantiam celebraturi conatu deficiamus; si plausus nostri rerum magnitudini non respondent, quando recta fortunae consilia regias curas quotidie successuum prosperitate pensant; quid in infuetis gaudiis, & in hac prima connubiorum, quibus Domus Augusta laetatur, solemnitate lingua nostra faciet? Frueris enim, **FRIDERICE AVGVSTE**, frueris hodierna die plausibus **TIBI** non prius auditis, & quamquam nulla dies praeterlabitur, quin **TVAE** virtutes pietatem nostram officii admoneant, & timidum linguae silentium in praeconiorum facundiam conuertant, haec tamen laetitiae publicae nouitas noua laudum **TVARVM** inexhaustarum theatra pandit, populisque **TVIS** votorum pro Domo **TVA** non antea susceptorum religionem affert. Iam enim non repetimus ea, quae toties celebrata nullum tempus conticescet, quod **TVA** consilia sapientiae decreta, **TVI** labores sudorum

miriong

dorum regionum honos, T^VA quies indefessae
prouidentiae peruigilium, T^VV^S thronus iu-
stitiae tribunal, T^VV^M sceptrum innocentiae ful-
crum, T^VA purpura clementiae puluinar, T^V-
V^M denique palatium virtutum omnium con-
fertarum & inter se connexarum domicilium
habeantur. Haec enim aeterna quidem, sed
quotidiana T^VA praeconia sunt, quibus spiritum
nostrum non occupamus, sed absumimus; hi
continui plausus terras T^VAS personant, in qui-
bus per T^VAM, Principum Optime, per T^VAM
clementiam fit, vt suspiria nulla sentiantur. Et
quid ea minus congruo vocabulo praeconia
dico, cum constans & perpetuus virtutum T^V-
ARVM concentus effecerit, vt Patriae Pater, vt
Sarmatarum Saxonumque delictum, vt tem-
porum decus dicaris, non quando laudes, sed
quando nomina T^VA recitantur. Quae omnia,
quamquam felicitatem nostram faciunt, & mo-
numentis memoribusque fastis vltra posteros
extendentur, hoc tamen vno ex omni aeuo die
transeant inornata, T^VISQUE recentibus &
domesticis laudibus locum faciant, tanto qui-
dem amplioribus futuris, quanto magnificen-
tius spectaculum est, T^E non vnum, sed Do-
mus T^VAE decoribus circumdatum intueri,
T^VAMQUE progeniem, quam ante hoc tempus

B

nos

nos T^{VI} ciues spem gloriamque nostram soli
dixeramus, nunc exterarum gentium saluti
promissam & desponsatam conspicerem. Nimi-
rum per T^{VAM} singularem paucisque princi-
pibus concessam felicitatem fit, vt consilia T^{VA},
sive populos imperio regas, sive Domum T^{VAM}
pater respicias, successus aequis passibus vbiuis
sequantur; cumque laeta cadant omnia, quan-
do rempublicam ordinas, quanto iustius est, vt
etiam in cubiculum T^{VVM} secunda fortuna se
recipiat, & illos Saxoniae ocellos, illam coeli-
tus missam sobolem T^{VAM} omnibus mune-
rum suorum copiis exornet. Est T^{IBI}, FRI-
DERICE AVGVSTE, & si diuinum de-
cretum publica vota iubebit esse rata, super-
stes erit innumerabilibus annis, numerosa li-
berorum corona, qui non minus in Domus
T^{VAB}, quam in nostrae felicitatis fulcra sur-
gunt, & ad posteros eandem prosperitatem,
quam clementia T^{VA} nobis praesentem prae-
stat, olim propagabunt, T^Eque ipsum futuris
saeculis ostendent. His omnibus sanguis T^{V-}
vs virtutum materiam, exemplum vero T^{VVM}
virtutem ipsam instillauit, & quamuis purpu-
ra dignissimi nati sint, curis tamen T^{VIS} fit, vt
ea quotidie digniores, hoc est, T^{VI} similiores
reddantur. Ea spes capita filiorum T^{VORVM},
Prin-

Principum Iuuentutis, circumuolat, quibus aequales fastigio, quo nati sunt, animos natura dedit, Tv vero, Felicissime Pater, virtutum augustarum opifex & magister foues, factisque Tvis, vel quod idem est, omnium saeculorum exemplis confirmas. Imbuis enim eos ipse praefens & optimus institutionis regiae auctor illis artibus, quae Tibi tantam gloriam pepererunt, regere imperio populos, pacique morem imponere; & quando alta puppe sublimis ad gubernaculum reipublicae sedes, summaque industria filiis intuentibus demonstras & praecipis, quemadmodum in imperando nunc scopulos euitare, nunc littora legere, nunc in altum plena vela dare, nunc portum repetere consultum sit, quid aliud hac sanctissima liberos Tvos maximis rebus aptandi cura consequeris, quam ingentem illam mercedem, ut hi maturis cursibus ad gloriam tendant, & rerum omnium celerrimam, aetatem, virtutibus praeuertant, & solius spei famaeque velocitatem antecedere patiantur. De filiabus vero Tvis quid dicamus, quarum coelestes vultus sanguinis augusti maiestate natura pinxit; quid de illa praefertim, quae omnium oculos a spectaculorum laetitiis Tvo iussu in publica gaudia dignitatemque Saxonum magnifice apparatis

tis

tis retrahit, & ad se rapit vna, **MARIA AMALIA**. Illud enim huius diei nomen dicam an Numen, quando nunc ex Palatio Tvo prodit, & ad hoc maximum elogium, quod Filia Tva fit, illud alterum & aequale, quod a nationibus exteris, vt earum mater esse velit, euocetur, adiungit, mox aduentu suo nobilissimae parti terrarum Italiae demonstrabit, quid natura possit, quando suas ipsa vires in vnus virginis venustatibus formandis vincit & superat; quid **FREDERICVS AVGVSTVS**, quando progeniem suam regiarum virtutum gloria dotat; quid **MARIA IOSEPHA**, quando maiestatem liberis suis impressam etiam amabilem facit, maternumque animum, quem populis suis toties adprobavit, peregrinis quoque in filia commodat. **TIBI** enim, o Regina, plausuum & praecursorum pars magna debetur, quibus hodierna dies in ingente multorum populorum concentu nobilitatur. In Tvo gremio filia tot ornamentis conspicua sedit & adoleuit, Tv illi nutrices clementiam TVAM & Austriaci animi magnitudinem dedisti; Tva manus, quae se ciuibus Tvis toties benignam praestat, in filia, quicquid ornamentorum habes, prodegit, & in imprimendis virtutibus adeo feliciter perita fuit, vt **AMALIAM TVAM** Diuae dicam an **TIBI** similem

milem reddiderit, vel vt de re sanctissima timi-
dis verbis loquar, speculum effecerit, in quo TE
TIBI ostenderes. Habetis igitur, Fortunatissi-
mi Parentes, qui talem genuistis & instituistis,
dignum regia, dignum paterna cura praemium;
Habetis generum, Serenissimum ac Potentissi-
mum **CAROLVM**, Hierosolymorum &
vtriusque Siciliae regem. Nulla enim sanctior
inueniri potuisset manus, cui hoc tantum cime-
lium Vestrae Domus Augustae laetius credidif-
setis; nulla fortunatior terra, quam illa felix
Campania, cui inferere maluissetis Rutae Saxo-
nicae surculum, cuius propago futuris saeculis
vtramque Siciliam obumbrabit. Illud igitur
temporum nostrorum fidus, ille, qui annos pro-
speritatibus numerat & virtutibus distinguit
CAROLVS, illa sceptris nata sceptris digna
manus hodierna die connubio stabili (quod re-
giarum affinitatum arbiter Deus immortalis fe-
lix & faustum esse iubeat!) **MARIAM**
AMALIAM sibi iungit. Hoc enim TVIS
felicitatibus adhuc deerat, Serenissime **CA-**
ROLE, vt quemadmodum TV thronum
mirifice ornas, ita sanctissimum TVVM genia-
lem torum **MARIA AMALIA** conde-
coraret; & quemadmodum TV TVIS ciuibus
praesentia lenis imperii commoda largiris, ita

C

haec

haec **T**ECUM futurarum aetatum spem distribu-
at, & felicitatis otii olim duraturi laetissimam
expectationem ad ventura saecula propaget.
Ac si nepotum Vestrorum seriei & gloriae
coeleste decretum eandem, quam nos nostris
votis ponimus, metam, nimirum nullam statu-
it, tunc illi contendunt cum auis, & non solum
maximas laudes continuari, verum etiam earum
immensitati multum adiici posse demon-
strabunt. Quid enim aliud agis Ipse, Serenissi-
me **C**AROLE, quam ut maiores **T**VOS, ma-
gna Borboniorum nomina non magis ut gene-
ris **T**VI decora, quam ut regnandi praecepta
consideres & sequaris, continuisque cogitatio-
nibus voluas, **T**E **P**HILIPPI filium esse, insi-
gni pietate regis, qui non solum sapienter im-
perare, sed & imperia sua ciuibus adprobare
nouit. Quando vero ad auum **T**VVM respicis,
quem fata terris tantum ostenderunt, & quam-
uis eum non minus merita sua, quam ciuium de-
sideria vetarent mori, destinato tamen regno
mature subtraxerunt; quando ad proauum **T**V-
VM **L**VDOVICVM M. adscendis, quo nihil
magnificentius sol inter vtramque domum su-
am vidit; quando ceteras maiorum **T**VORVM i-
magine percurris, & hanc armis, illam pacis oli-
ua nobilem, omnes vero diuersis viis ad gloriae
fasti-

fastigium euectas vides: tunc in venis Tvis Borbonius sanguis non tam excitatur, quam quotidie renascitur, & in animo Tvo sanctissimum desiderium, virtutes illas, quae maiorum Tvorvm regna singulae distinxerunt, ad Tvvm thronum vniuersas congregandi exsurgit. Horum nominum magnitudini Tvoque in imitando feruori si quid adhuc accedere potest, accedent Borboniis Farnesii, Tibi que numquam in adscendendis fastigiis lasso nouum ad gloriam iter ostendent Octauii, Alexandri, Rainutii, Odoacres, vel si ad euitandum per plures imagines discursum vnam, quae ceterarum praestantiam complecteretur & redderet, intueri cupis, occurret viua Tvisque ac populorum votis superstes ELISABETHA. Cuius si quis tantum dicta & facta consideret, & illud de maximis rebus prudens iudicium perpendat; tunc se ipsius sapientiae, quanta in humano corpore habitare potest, domicilium contemplari putabit; si vero simul & sexum, & natales, & illud, in quo collocata sedet, fastigium secum reputet, nesciret profecto, quale tandem tam excellenti virtuti nomen adsignari mereatur, nisi cetera nomina hoc vnum vinceret, quod mater Tva fit. Ita nimirum genus Tvvm, Serenissime CAROLE, paternum maternumque
com-

comparatum est, vt quo altius adscendamus in
saeculorum priscorum memoriam, tanto nobi-
liorum factorum historiae nobis occurrant; quo
vicinius ad aetatem nostram perueniamus, tan-
to nobiliorum factorum sensus nos percutiat;
quo propius demum accedamus ad TE, tanto
nobiliorum factorum spes exurgat. Sed cum
spem factis ipsis praeuenias, & velox T^{VA} vir-
tus destinatam gloriam expectare impatiens
meritis properatis occupet; quales tunc omni-
um acclamationes erunt, quando maturus aevi
olim his fundamentis apicem impones, & regia-
rum laudum complemento efficies, vt non tam
cum maioribus T^{VIS}, quam T^{ECUM} ipse com-
parari merearis. Atque vt hoc animi T^{VI} ro-
bur in amplo theatro lacertos suos laetius mo-
uere possit, aperuit T^IBI summus ille corona-
rum & imperiorum dispensator vtramque Sici-
liam, orbis terrarum nobilem simul & amoenif-
simam partem, in cuius ornamentis ad omnes
vitae delicias disponendis naturae manus non
munifica fuisse, sed thesauros suos exhaustisse
videtur. Nam siue coelum molle spectemus,
siue soli mirificam vbertatem, siue prata florum
amictus bis mutantia, siue quieta maris hospita-
lis otia, profecto amoenitatem ipsam in illis ter-
ris gremium suum aperuisse, & post Liberi pa-
tris

1100

tris Cererisque certamen beatam Copiam pleno cornu triumphum agere censebimus. Ita natura suas, ita Tv, Serenissime CAROLE imperii delicias, pari munificentia felicibus incolis dispensatis; sed vna tamen deerat ad perficiendum naturae gaudentis opus, Charitum Regina, Serenissima sponsa, sine qua Campania, quicquid alias riserit, inamabile ridere videretur, & se nunc demum per eius aduentum Felicis elogium commeruisse fatebitur. Huius enim currum ouantium ritu Gratiae ac venustates circumuolitant, omnibusque venustatibus venustior amor Tvi; eam pede presso hilaritas & laetitiarum omnium erectae facies sequuntur; cumque inter eas Ipsius MARIAE AMALIAE vultus emineat, & in summa dignitate amabile renideat, fieri aliter non potest, quam vt eius ingressus non minus aduentantis sponsae pompa, quam ipsius pulchritudinis triumphus videatur. Ibis itaque, Serenissima Princeps, & quod nos Tvi Saxones omnes ore precamur vno, feliciter ibis in amoenissimas terras, in illud, quod Tibi tantis deliciarum copiis natura parauit, & quasi metata est domicilium. Ipsum autem iter Tvvvm, quantum voluptatis habebit? quae species Italiae? quae celebritas oppidorum? quae venustas regionum?

D

gionum?

alio

gionum? qui agri? quae fruges? qui colles viti-
bus amicti? quae artis opera, veterumque ac re-
centiorum contentiones? quis marmorum spi-
rantium populus? quae destinatae TIBI regiae
vrbis pulcritudo? Hae omnes amoenitates TIBI
aduentanti arridebunt, & oculis TVIS se infe-
rent, & se pulcritudine TVA vinci gaudebunt;
ipsi etiam soles in his terris laetissimi, tunc ta-
men, quando vultus TVVS affulgebit, laetiores
ire, meliusque micare videbuntur, & quae bis
in anno vernare dicitur Campania, TVO vultu
nobilitata ter & amplius reuirefcet. Nos comi-
tatus TVI quotacunque pars Musae claudemus
agmen, animisque ac vocibus nostris inter
innumerabiles plausus pietatem nostram inge-
remus. Nos ad hanc itineris societatem non a-
moenitas locorum regionumque deliciae inui-
tant; quocunque enim procederes, Serenissi-
ma Princeps, & quemcunque sub solem ires,
sequeremur TE Musae, longinquum iter TE-
cum carpere comites paratae. Sed praeter-
quam quod TE duce proficiscamur, & hoc be-
nignum literis fidus, vultum TVVM praeun-
tem, sectemur; tum illud etiam nostrum comi-
tandi desiderium auget, quod iter suscipias in
terras Musis caras, quas iam olim doctrina in-
habitauit, cum adhuc aliorum locorum domi-
cilia

5mnoig

D

cilia quaerere neglexisset. Ausim dicere, AV-
DITORES, nullam orbis terrarum partem nomi-
nibus eruditione magnis, & ab antiquitate con-
secratis nobiliorem esse, quam vtramque Sicili-
am, nullam vel literarum seueriorum dignita-
te, vel politiorum amoenitate magis gloriari
posse, ac in vniuersum tot clara doctrinae fide-
ra vel in his terris orta esse, vel lucem suam ex-
seruisse, vt Musae in aliis regionibus hospitium
conduxisse, in vtraque Sicilia sacrarium fixisse
videantur. In his enim terris ingenia summa
Graecorum & Latinorum exsurrexerunt; in his
terris Pythagoras naturae profundum mensus
est, & taciturnos discipulorum circulos coëgit;
in his terris Empedocles animo polum peruo-
lavit, coelique meatus radio descripsit; in his
terris Archimedes non opera sua, sed prodigia
fecit, & circulos ipse suos occumbens turbauit;
in his terris Theocritus arundinem agrestem
inflavit, ciuibusque suis ad arbuſta vel adhuc
maiora canenda signum extulit; in his terris
Venusina Horatii nec non Iuuenalis lucerna
primum fomitem accepit; in his terris ossa Vir-
gilius non procul Neapoli, quam viuus tantope-
re amaui, requiescunt; in his terris ingenium
exortum est, quod Ouidium Nasonem orna-
uit et perdidit; in his terris Silius Italicus con-
fulares

fulares fasces in gremium Musarum deposuit; in his terris eloquentissimus mortalium M. Tullius Cicero primos vagitus edidit, & Academiam suam Platonis aemulam erexit; in has terras & praesertim in ipsam urbem Neapolim maxima Romanorum ingenia sese abdiderunt, ubi labores finire, & literarum nectare recreari quaesiverunt. Intelligitis, AUDITORES, ex hac vna regione multos prodiisse doctos, de quorum vno multae regiones, vt patria dici mereantur, contenderent. Et quomodo dicendi finem inuenirem, si vel clarissima tantum, quae ibi olim illuxerunt Philosophorum, Rhetorum, Poëtarum, Historicorum nomina enumerare instituerem, vel si ad opera ipsa & ad inuenta, immo si ad solam Amalfin, non minus indagato magnetis vsu, quam seruato iuris nostri magneti Pandectis nobilem me conuerterem. Vnum addere ausim; in his terris Cumanae Sybillae antrum fuit; & si vnquam fuisti, o fatidica sacerdos, & futurorum conscia, venturas aetates oculis animisque praecepisti, ac prodidisti, quid aliud ciuibus TVIS de hodierna die praedicare posses, quam quod noua progenies alto coelo demittatur, & quod oraculum ad excipiendam **MARIAM AMALIAM** aduentantem prius proferres, quam illud vetus **TVVM:**

Iam

Iam venit et virgo! veniunt Saturnia regna!

Immo cur Phoebi sacerdotes & alumnos commemoro, cum Musas ipsas vetus fama in Sicilia collocauerit, easque non solum has sedes amasse, verum etiam inde nomen accepisse vulgauerit. Ac si vniquam Syracusio plectro Thalia cum fororum choro ludere dignata est, si quidquam audiendum prisca vel recens manus in Siciliae terris aptauit, nunc certe ad TVVM, Serenissima Princeps, aduentum Sicelides Musae haud paullo maiora cantabunt. Nos, qui literarum nomine censemur, quorsum prius TE procedere mallems, quam in has benignas literis terras, in vtramque Siciliam; & quamquam sponsi TVIIIaestas ipsorumque regnorum dignitas hanc TVAM sedem futuram vltra quam cogitari potest nobilitent, nos tamen, vt amamus vmbra Musae, tanto impensioribus laetiis incedimus, quod easdem regiones etiam doctrinae gloria nobis amabiles faciat, & per connubium TVVM Saxonicae Musae in Sicelidum affinitatem perueniant, communemque patronam vtraque turba nunc veneremur, & vnicuique nostrum posthac liceat simul cum TVA TVIque sponsi purpura etiam vestigia veterum sapientum velut in eodem templo adorare. Quapropter, quando iam, Serenissima

E

Prin-

Princeps, procedes, & ad eos colles, vel vt no-
stra lingua loquar, ad eos Parnassos TE conferes,
nos T_{VA} cohors I pede fausto! non semel dice-
mus I pede fausto! voxque haec nostra, qua TE
prosequimur, velut obuium & sibi oppositum
senties illud, quo nunc vtraque Sicilia personat,
carmen: Diua praesens habebitur! Habebitur, o
fortunati populi, habebitur omnino vobis prae-
fens & conspicuum illud nunc Saxonici coeli,
mox Vestri fidus, & cum tanta sit inter Vos ex-
ultatio, cum illud adhuc e longinquo venere-
mini, quid quando mox exsurget, & amabili lu-
ce populorum oculos recreabit, quid, inquam,
tunc pietas Vestra faciet? Sane nec sibi deerit
illa, nec expectationi nostrae. Nam ad ipsum
MARIAE AMALIAE aduentum qui
concurfus hominum erunt, quantae ex oppidis
effusiones, quam attoniti admirantium vultus,
quam variae laetiarum figurae, corporumque
inter tripudia motus, vt prope mediocritatis, &
ausim dicere, modestiae oblita pietas, non re-
ginam salutare; sed coelitus missum Palladium
excipere videatur. Adducent tunc patresfa-
milias coniuges liberosque suos, & ecce, inqui-
ent, surgentem spem nostram, iam tunc, cum
adhuc procul esset, maximam, sed quo propius
accedit maiorem, & in laetiarum ne quidem
spera-

speratarum blanditias conuersam; ecce, vt amabile renidet, vt os humerosque maestas extollit, vt maiestatem venustas, venustatem dignitas temperat; vt ipso vultu ostendit, quod proximos honores post **WILHELMINAM AMALIAM & MARIAM IOSEPHAM** occupet; aspice, pergunt illi, vt circa currum eius amores cum taedis genialibus & Gratiae ludunt; vt hae per prata discurrunt, & amoenissimos totius Campaniae flores colligunt; aspice, vt collectos Concordia in coronas nequit, nexaque salus & alma Faustitas capitibus regis & reginae imponunt. Hae ciuium **T V O R V M**, Serenissima Princeps, voces & acclamationes erunt; ita nobilitas, ita quicumque incolarum vtriusque Siciliae, hoc est, fortunatorum nomine censebuntur, in illo die laetitiarum auspice gestient; ipse fertilis agri Campani colonus quasi culturae laboribus leuatus exclamabit: O laetum & vere purpureum ver! quod iam nec amoenitate camporum, nec spe segetum, nec gemmis vitium, nec ipsis Fauoniis & serenata luce quantum huius noui sideris ortu nos exhilarat. Inferamus nunc, inquiet rustica turba, puros & ordine vites ponamus; nunc enim multiplicata foecunditas blanditur, & supra colles agrosque nostros spem ratam expandit,

dit, fore, vt sudores nostri profint etiam poſte-
ritati. Nam vt ſub **CAROLO & MA-
RIA AMALIA** neſcient terrae, quid fit
fallax annorum fides, quid infelix autumnus,
ita numquam Falerno noſtro generoſa virtus,
numquam campis maturatae diuitiae, num-
quam Hyblae Siculae mella, numquam oliua-
rum baccae Venafro decedent. Ita vel ruſtici
augurabuntur, tantamque ſpem vna dies exci-
tabit, nec ea ſe tacitis gaudiis inuoluet, ſed af-
fuetas ſub tantorum principum imperio laudi-
bus linguas ad impenſiſſimos plauſus accendet,
quos aura per vrbes circumferet, & Gaurus
mons Maſſico remittet & ipſe Tyrrheni maris
nauta miratus quaeret, cui tantis conatibus
vtraque Sicilia plaudat, reſponſumque capiet,
vni **MARIAE AMALIAE**. Dumque
talia in illis Italiae regionibus agitabuntur, ex-
ſultabit ſimul reſpondere parata Hispania, ſer-
uebunt Saxones & nos quoque Muſae ex re-
motis locis per tantum terrarum ſpatium trans-
mitteremus iſtuc vota, publicisque populorum
praeconiis tenuitatem noſtram inferemus. Nec
aliter fieri poterit, quam vt ille nationum con-
centus, votorumque non vox, ſed fragor auras
perrumpat, & ad ſublimem Veſtrarum ſedium
quietem perueniat, **DIVE IOSEPHE,**
DIVE

DIVE FRIDERICE AVGVSTE,
qui Vos iam pridem ad cognata Vobis sidera
recepistis, & nunc immortalitate duplici, altera
sublimi & vera, altera, quae in terris nomina
Vestra manet, aemula verae fruimini. Ac si
Vobis vlla rerum humanarum cura vel cogita-
tio superest; si Vos inter aeterna gloriae inta-
minatae praemia scire iuuat, quantopere no-
minis Vestri honor in terris quotidie crescat
& augeatur, agite, & ad hunc orbem, qui nunc
vt ceteri coelestes vestris pedibus subiacet, o-
culos conuertite, tantorumque gaudiorum &
pomparum caussam & auspicem quaerentes
Vestram intuebimini neptem. Immo si vn-
quam Diis Manibus super astra collocatis futu-
rarum aetatum seriem introspicere, fatorum-
que volumina euoluere datum fuit; Vobis
praesertim sistet se mirifica nepotum multitu-
do, Vestraeque magnitudinis aemulos a prou-
dentiae manu in venturorum saeculorum stati-
ones disponi videbitis, & in progenie Vestra
Vos ipsos renasci mirabimini. Habetis, AV-
DITORES, futurorum bonorum auguria, gaudi-
orumque praesentium faciem, quae non pos-
sunt non vnius cuiusque nostrum pietatem,
cum per se incalescat, & ad quotidianas, quas
pro salute Principum erigimus, aras quotidie
F magis

magis accendatur, hodierno die feruoribus
prorsus insolitis implere. Perpetremus igitur,
Magnifice Academiae Rector, Patres et Cives,
perpetremus hoc solempne sacrum, manibusque
pietate robustis ipsi Felicitati oliuae ramum ex-
torqueamus, qui non solum ad huius Serenissi-
mae Copulae thalamum, verum etiam ad eius
thronum suspendatur, omnibusque consiliis &
factis laetissimum auspiciū praebeat. Aut si
dicendum quod res est, non oporteret nos tot
precibus aliam Faustitatem fatigare, quae prin-
cipibus nostris vltro se comitem iungit, non
ignara, quod, quando cum eorum virtutibus
aequo passu incedit, non beneficium eis tribu-
at, sed officium suum exequatur, eique plenius
satisfaciat, quam nos precibus nostris praecipe-
re possumus. Quando vero lubentius ferre-
mus, **AVDITORES**, tenuitatem nostram vinci,
quam quoties spe cogitationibusque nostris
maior prosperitas in capita principum nostro-
rum redundat, nihilque votis nostris, quae
praeuenit implendo, relinquit, quam solam
laetarum vocum & acclamationum pietatem.
Itaque Saluete Principes, temporum decora,
CAROLE & AMALIA; Deus Vos seruet!
Salue o qua Sol habitabiles illustrat oras, For-
tunatissima Copula! Deus **TE** seruet! Iungite
nunc

nunc fidum pectus bene mutuis amoribus & vitae deliciis vltra vota suauibus per innumera- biles annos fruimini! Extendite nomen Bor- boniorum, nomen Saxonum in vltimas aeta- tes & in ipsum orbis senium, ferisque tempo- ribus tales Heroes date, quales saecula prisca viderunt, & in Vobis aetas nostra miratur; Sci- tote vero, nos talia non solum gloriae Vestrae, verum etiam salutis nostrae & incolumitatis tot populorum caussa precari, quae velut indisso- lubili vinculo cum Vestris virtutibus cohae- rent. Atque vt nomen **CAROLI** nomen **MARIAE AMALIAE** secunda fortu- na inter tesseras suas consecrauit; sic eadem fortuna rerum domina Vestrae virtutis pedif- sequa fiat, tantoque copiarum suarum cumu- lo Vos, & quicquid Vestrum esse gloriatur, exornet, vt ad eas enumerandas noua nomi- na excogitare oporteat. **Tv**, qui regnorum vicissitudines nutu **Tvo** temperas, & populos terrarum incolas imperio regis vnus omnes aequo; **Tv**, qui principum connubia rebus publicis prosperitatem allatura disponis & or- dinas; **TIBI** publica voce supplico, vt huic fan- ctissimae Copulae, quam aeterno **Tvo** decreto coniunctam esse gaudemus, earum laetitiarum
fru-

fructum in conferuando impertiaris, quarum spem in ea
focianda tam largiter extulisti; Et vt ea vota, quae ante
hos vndeuginti annos, cum **FRIDERICVS AV-**
GVSTVS MARIAM IOSEPHAM coniugem
acciperet, ex hoc loco & ex hoc ipso templo nuncupa-
uimus, rata esse iussisti, Eisque numerosam & talem so-
bolem dedisti, qualem illis dare soles, quibus es cle-
mentissimus; sic nos hodierna die non insueta dari, ve-
rum iam aliàs impetrata bona poscimus, nimirum, vt
hoc **MARIAE AMALIAE** connubium paterno
simillimum fiat; Atque vt ad has solemniores preces
adhuc illas, quas quotidie pro principibus nostris fun-
dimus, iungi non tam pateris, quam iubes; sic **TE** sup-
plices obsecramus, vt **FRIDERICVM AVGV-**
STVM & MARIAM IOSEPHAM, & vni-
uersam Domum Augustam, vt **CAROLVM &**
AMALIAM vmbonis **TVI** robore tuearis, eorum-
que continuo memor sis, quando Sui propemodum
obliti reipublicae tantum viuunt, ciuiumque salu-
ti tempora sua donant; Cumque hos principes vice
TVA populos regere volueris, eisque magnam maie-
statis **TVAE** partem viuamque virtutum **TVARVM** ima-
ginem impresseris, ita nominibus Ipsorum adhuc illud
TVVM proprium & singulare bonum, quoad
rebus humanis commodari potest, largiaris
immortalitatem!

DIXI.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA EPHRAIM GÖTTLOB EICHSFELDII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

ft, pro
blem
Cum
ra ma
equet
ongre
tis, la
orem
Ter
don
oncer
aeta t
a, quo
anim
Patr
Cru
lit o
, illu
VS d
SAX
is fu
rofe
Ma-

DII

ULB Halle 3
007 142 293



40711





N. 10, 29.

V. 2
265

PANEGYRICVS
IN
AVSPICATISSIMVM CONNVBIVM

QVO
SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS
PRINCEPS AC DOMINVS

DOMINVS
FRIDERICVS
AVGVSTVS

POLONIARVM REX ET ELECTOR SAXONIAE
ETC. ETC. ETC.

DOMINVS NOSTER LONGE CLEMENTISSIMVS
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO
CAROLO

HIEROSOLYMORVM ET VTRIVSQUE SICILIAE REGI
HISPANIARVM INFANTI ETC. ETC. ETC.

FILIAM NATV PRIMAM
SERENISSIMAM AC REGIAM PRINCIPEM
ET DOMINAM

DOMINAM
MARIAM AMALIAM

IVNXIT
D. IX. MAII CIO D CC XXXVIII.
EX DECRETO

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IN TEMPLIO AD ARCEM
DICTVS

IO. GVILIELMO HOFFMANNO
D. ET HISTOR. PROF. PVBL.

